



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

II. Aduersus querelam lazari ficti & sacrilegi, Defensio Canonico[r]u[m] p[er]
Io. Cochl[a]eu[m], scripta Budissen[a]e in Lusatia superiore An. 1539.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

tur bona, Nunc uero, ubi uidetis ea bona. maxima ex parte retineri
 a uestris laicis, uobis autem non tantum inde dari quantum speraba
 tis, cauillamini ad inuicem in angulis, uestros magis inhiare in bona
 Ecclesiastica q̄ curare Ecclesiam.

M Iuramentis, si ea fuerint illicita & contra publicum bonum, aut
 contra fidem Ecclesiæ. Pium est enim in turpibus promissis rescin
 dere fidem.

N Ecclesiam suam Dominus tuebitur. Non est de hoc dubium,
 Tutatus est enim eam hætenus. 1500. annis, contra longe maio
 res & fortiores persecutores atq; hæreticos q̄ hodie sunt. Sed domi
 ni Ecclesia non est noua Lutheri aut Zuinglij secta, quæ utiq; peris
 bit, sicut hætenus perierunt omnes aliæ sectæ, Christus autem in
 Catholica Ecclesia permanebit usq; ad consummationem sæculi.

Annotationes scriptæ Misnæ Anno Domini.

1 5 3 9.

MISCELLANEO

RVM LIBRI TERTII

Tractatus secundus.

ADVERSUS QUERELAM LAZARI
 ficti & sacrilegi, Defensio Canonorum, per
 Ioan. Cochleum.



Vi pium Deicultū à sede Apostolica per
 pios & Apostolico spiritu præditos uiros
 ad Germaniæ gentes olim Idolatras propa
 gatum, et iam D C C. & amplius añis per
 petuo pietatis & sanctæ deuotionis usu
 confirmatum, Imperatorumq; & aliorum
 Principum Christianorum religiosa in foundationib. largita
 te aduētū, abolere nunc molunt, non solū grauib. calūnijs
 O o 2 onerant

onerant Clerum Orthodoxum, sed etiam sacrilegas aduersus eos rapinas Principibus & Magistratibus (quos sub fusato Euangelij prætextu fallunt) persuadere confictis declamationibus non uerentur.

3. Reg. 21.
Achab contra Naboth.

Psal. 79.
Esa. 5.
Matth. 21.

Quamuis non ignorent, quã grauius ab Helia reprehensus ac increpatus fuerit Achab, impius ille Rex Israel, qui calumnijs & persuasione impiæ uxoris suæ Iezabelis inductus, uineam unam, & quidem prophanam, ereptam Naboth Israelitæ, iniuste possidere præsumpsit. Per uineam aut figurate significari Ecclesiã, non est obscurum ijs, qui sacras literas uel semel perlegerunt. Ait enim Psalmista, Uineam de Aegypto transtulisti & plantasti eam, Et Esaias, Vineam Domini Sabaoth domus Israel est, Et ipse saluator in Euangelio. Homo erat pater familias qui plantauit uineam, &c. Iuste quidem ab Helia reprehensus fuit Achab, qui uendere aut quauis ratione alienare nolenti uineam suã uxoris fraudibus eripere ac possidere non erubuit.

Psal. 51.

Attamen si factum illud manifeste impij ac idolatræ Regis Achab conferatur cum ijs rapinis & sacrilegijs, que nunc Rhetores Euangelici (uti seipso uocant) suis Principibus, qui præ alijs de Euangelio sese iactitant, persuadent atq; iustificat, poterit profecto Achab præ illis non iniquus, immo æquissimus uideri, Quid ita? Primum, Non gloriabatur Achab de rapina illa, sicut gloriantur Euangelici de sacrilegis factis suis, Quum enim audisset Helia sermonem Achab, scidit uestimenta sua, & operuit carnem suam cilicio, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Nihil horum faciunt nostri Euangelici isti, sed gloriantur etiam de tot iniquitatibus suis, & lætantur cum malefecerint, atq; exultant in rebus pessimis.

Deinde

Deinde non abstulit Achab uineam Naboth mox uí aut imperioso mandato, sicut isti faciunt, Dixerat enim ad eum Da mihi uineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia uicina est & prope domum meam, daboq; tibi pro ea uineã meliorem, Aut si commodius tibi putas, argenti præcium quãtum digna est, Ecce Rex iste quantumuis impius ac sceleratus (nempe qui fecit malum in conspectu domini, ut sacra testatur historia, supra omnes qui fuerunt ante eum) non petijt gratis sibi uineam dimitti aut donari, sed iusto contractu à subdito sibi ciue obtinere illam satagebat, utpote uel iusto emptionis præcio uel melioris uineæ commutatione, Licet improbe prætexere potuisset (si Euangelicis istis similis esse uoluisset) ius rapiendi ex uerbis Samuelis prophætæ, longe antea defuncti, Qui ex ore domini dixerat, Hoc erit ius Regis qui imperaturus est uobis, filios uestros tollet & ponet in curribus suis, Agros quoq; uestros & uineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, Non tamen ius istud arrogauit sibi Achab rex, sed iusto contractu, (sicut solet homo priuatus à conciuo suo) uineam à subdito suo petijt.

Prouer. 2.

3. Reg. 16.

1. Reg. 8.

At Euangelici nostri Principes, à Iezabelicis persuasi Rhetores, torib, audet abbatib, & alijs Ecclesiarũ Prelatis atq; pastoribus, uolentis mandatis dicere, Cedite ac date nobis uineas, quibus hactenus præsuistis, neq; meliores à nobis accepturi, neq; ullum argenti præcium pro eis recepturi. Quin potius cedite ac date non solum ipsa templa & Monasteria, quæ habetis, sed & omnia eorum uasa & ornamenta, aurea, argentea, gemmea, serica, Holoferica, polymita, & quantumuis uel arte uel materia præciosa, etiam si ab Imperatoribus antiquis aut à maioribus nostris sint uoto aut ultro, nea deuotione templis uestris nuncupata, Deoq; consecra-

Rhetores.

Iezabelici,

Verbũ Do-
mini.

O o 3 ta, Quam

- sa. Quāuis, n. Principes illi de uerbo Dei maxime glorifentur, et in salua eorū semper natet, illud; Esaię, Verbum dñi manet in æternum, Quin etiam in seruatorum suorum manet cis, et domorum dealbatis parietibus (sicut in Iudaicis olim phylacterijs, et fimbrijs factum fuisse exprobat Phariseis & Hypocritis dñs) depingant Quinq; literas grandiusculas illius Oraculi, V. D. M. I. E. Semper ut memores uerbi dñi uideantur, Re tñ ipsa semper obliuiscuntur certissimi huius uerbi Domini, quod i fine libri Leuitici clare habet expressum, nempe. Quicquid semel fuerit consecratū, sanctū sanctorum erit Dño, Adeo, n. irreligiose attrectant & pphanāt sacra uasa, ut etiam Babyloniorum Rex Balthassar sacra q̄dem sed alię religionis cultui consecrata uasa, minus impie tractasse uideri queat, Non, n. legitur is sacra Tēpli Hierosolymorum uasa per sese rapuisse, sed a patre suo in bello publico rapta, conuiujs exhibuisse in usum potandi, quū esset ipse iam temulentus, Nec legitur ea conlasse in pecunias, nec in torques conuertisse, nec mulieribus in mūdum prophanum & in superbię ostentationem condonasse, nec haste subiecisse, nec publice in foro uendidisse, sicut ab Euangelicis uidimus iam aliquot annis, & uidemus adhuc fieri hominibus Neochristianis.
- Quorum Visitatores, sacerdotibus quidē phibent sacrorum & ornatum et uasorum usum, Magistratibus uero pphanis, p̄tensa Principū cōmissione, permittunt atq; etiā precipiūt, ē templis et Monasterijs omnia sacra tollere, atq; in p̄torium asportare, Et hic est pius Dei cultus, quē tantopere laudant Lutherici declamatores, hoc uerum Euangelij noui ministeriū, hęc Principum officia (si dijs placet) quę Deo et Ecclesie debent, ut impudentissime rethoricant impij Rhetores isti lezabelici, sanguinarij hostes Cleri Orthodoxo

Esa. 40.

Matth. 23.

Leu. 27.

Rex Balthassar.
Dan. 5.

Visitatores
Euangelici.

thodoxi, scelerati fratres proditoris sacerdotū Doeg, cuius *1. Reg. 21.*
 nefario cōsilio ac ope interfecti sunt in die uno LXXXV.
 Viri uestiti Ephod lineo, totaq; ciuitas sacerdotum, Nobè,
 in ore gladij percussa est.

Quanto igitur minus iniquus uideri potest fuisse Achab *Achabmīns*
 Rex Idolatra, quàm sunt noui Euangelij p'effores isti ho *fuit iniquus*
 die. Ille, n. uineā dūtaxat (rem utiq; pphanam) ab inuito ex *quàm sunt*
 torquere nitebatur, licet equo sub p'ecio atq; etiam sub me *hodie falso*
 lioris uineę cōmutatiōe. Isti autē ornatus uestesq; & uasa sa *Euangelici.*
 cratissima (quorū bona pars aliquot seculis diuino cultui à
 pijs Principibus destinata & in usu sacrorum rituum habita
 & cōsecrata fuerat) sacerdotibus & Monachis uiolento im
 perio auferre nō uerent. Itē Achab, posteaq; responsum Na
 both libere ac animose denegantis audiuit. (*Dixit. n. ad eū* *3. Reg. 21.*
 Naboth, Propitius sit mihi dñs, ne dē hereditatē patrū meo
 rum tibi,) non est accensus ira furente ad sequendum in pau
 perem et subditū suum, nec minatus ē quicq; mali, nec dixit
 (sicut nūc Euāgelicorū suggestiōe supbe dicūt) nisi dederis
 tu sponte, ego ipse ui rapiam, aut noua lege uindicabo mi
 hi, Sed licet egerrime ferret pauperis tā constans ac liberum
 responsum, absq; tamen uiolentiā domum abiit, & proijci
 ens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, &
 non comedit panem.

Nostri autem Proceres ac uisitatores, nouo Euangelio tu
 midinequa q; ita se humiliant, animosq; demittunt ristes, si
 quando audiunt Abbatem aliquem, aut alium quempiam
 Ecclesię Prælatum, liberius, quàm ipsis & adulatoribus eos
 rum æquum uidetur, ingenua pietate dicentem cum Na
 both (sicut dixit & beatus Ambrosius aduersus Impera
 torem Valentinianum II.) Propitius sit mihi dominus, ne
 dem hereditatem patrum meorū tibi, Verbi gratia, ne dē tibi
 hanc

hanc uel illam Cathedralem aut Collegiatam Ecclesiã ante annos D. aut D C. aut eo amplius fundatam ab hoc uel illo Rege aut imperatore, hoc uel illud Monasterium ab hoc aut illo Principe aut sancto Episcopo religiose cõstructum, opulentis censibus ad perpetuum dei cultum pie donatum, & antecessorum meorum frugalitate ac diligentia bene ad auctum, ac præciosis insuper in honorem Dei & sanctorũ eius ornamentis decoratum.

Calumniæ
Visitatorũ.

Vbi ergo hæc audiunt Visitatores, mox rapiunt pium Prælatum ad calumnias, & dicunt Principi, Ecce rebellem ac seditiosum Monachum, qui papistica induratus pertinacia, Principis sui iussis parere recusat, Eijciendus est igitur e finib. Domini nri, cunctisq; exuendus possessionibus, ut discat & suo obedire principi & uerbum dei non blasphemare. Ait enim Apostolus. Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, Hoc itaq; prætextu inuertunt ac subuertunt omnia Visitatores isti Euangelici, qui contra mentem Pauli suis Principibus omnia arrogant, Quum certum sit & ex sacris literis & ex sanctorum interpretatione, Paulum suadere ibi debitam obedientiam, quæ nõ sit contra Deum, si enim cõtra Deum quid præcipiat princeps, attendendum nobis est ad illud Apostolorum, Oportet Deo obedire magis quàm hominibus.

Ordinata
Potestas.

Deinde constat Paulum ibi loqui de ordinata potestate. Ait enim, Non est potestas nisi à deo, Quæ autem à Deo sunt ordinata sunt. Iam omnibus liquet, ordinata potestate, non Cæsarem ducibus, sed duces Cæsari subesse ac obedire debere, Quum igitur Cæsar in legibus suis ubiq; uetet sacri legia, præcipiatq; cultus diuini in templis & Monasterijs antiquam obseruationem, peruersissime profecto suadent sacrilegi

facrilegi declamatores Principibus suis, qui Cæsari subiecti sunt, ut contra Cæsaris & leges & uoluntatem, sacrilego ausu templa sacris uasis et ornatibus despolient, ac Dei cultum multis sæculis, iuxta foundationis regulam & tenorem, pia deuotione obseruatum, interdiciant & aboleant, iubeantq; tradi in manus publicorū Ecclesiæ hostiū hereditatem patrū nostrorum. Quod nequaquam petiisse legitur impius ille rex Achab à sacerdotibus Dei Israel.

Absit uero à nobis, ut excusare uelimus impij huius Regis uel facinus istud iniquum contra Naboth, quod S. Ambrosius integro persequitur libro, uel infinita alia eius scelera, quibus iram Dei in ultionem cōcitauit malus & impius supra omnes qui fuerunt ante eum, Hac tamen historiæ collatione pijs Christianis ostendere uolumus, quanto iniquiorem foueant nūc causam Euangelici (si Dñs placet) declamatores, quā fouit ibi p uiro suo impio sceleratissima mulier Iezabel, cuius malicia nomē eius cūctis seculis detestabile fecit.

Sed uideamus nūc quam iusta & pia sit Vuittembergensis Declamatoris quærela, quā ex Euangelio de diuite & Lazaro aduersus Clerum Orthodoxum proponit, ac Rhetoricis fucis incrustat ac torquet, sanguinarij Doeg artificio & exemplo edoctus, Ne tamen plus æquo proluxa fiat responsio aduersus quærelam istam (tametsi non adeo longam) non ad omnia inania eius uerba, sed ad præcipuos calumniarum falsarumq; gloriationū locos, breuiter respondebimus, & quidem sobrie ac sine bilis commotione.

Quærela Lazari.

Ait ergo. Pulsa ueritas ex Pontificū collegijs & Cōcilijs, nobiscum adhuc dei beneficio philosophatur.

Veritas.

Nobis autem septiceps Lutherus uester, & bilinguis in suis ad Romanos cōmentarijs locisq; cōmunibus bis æditis

Pp

Philip

Matth. 5.
1. Cor. 1.

Philippus & frequētes uestræ hoc aſio habite in uos cōtentioſe diſputationes de lege & Euangelio ac de pœnitētia, tā uarijs & cōtrarijs ſententijs uentilatæ, manifeſte oſtendūt, ueritatē à uobis ꝑcul exulare (quū in contrarijs ueritas ſuſſistere non queat) uoſq; à uero Euangelio (cuius ſermo debet eſſe Eſt Eſt, Non Non) longe aberrare, Conciliorum uero decreta Mille iam & amplius annis perdurare ſacroſancta adhuc, ac ſolidè inniti ueritati, Qualia ſunt (exempli gratia) Niceni atq; Chalcedonenſis Conciliorum decreta, quorum hoc DC. & XXX. illud CCC. & XVIII. Pontifices congregatos in unum habuit.

Ait amplius declamator. Quærendum igitur eſt hoc tempore, qui referant Lazarum, qui imitētur diuitē, Si uere hoc & ſimpliciter dicendum eſt, Nos inopes ſcholastici, Deinde omnes ſacerdotes, qui uulgo inuili ac ſpreti, cum alijs grūnis conficiuntur, tum uero cum uxoribus ac paruis liberis fame cōtabeſcunt, Lazari ſunt, Econtra imitatores illius opulēti, qui ſunt præcipue ꝑ Pontifices, Epiſcopi, Canonici, Monachi, & horum ſatellites tyranni.

De iuuandis
ſcholasticis.

De ſcholasticis inopibus, qui ad ſtudia ſua proſequenda alieno egent adminiculo, iam diu, etiam uiuente adhuc piſſiſſimo laudatiſſimo principe, Duce Saxonie GEORGIO, cogitauerunt Epiſcopi & Prælati noſtri, quanā ratione iuuandi eſſent, obtulerūtq; ſua ſponte inſignē pecuniarū ſummā, q̄tannis ad eorū ſtudia iuuanda partim in ſalaria prælectorū, partim in alimoniam, aliasq; neceſſitates addiſcētū, Lipſie certa cōtributione præſtandā. Sciunt hoc ueteres conſiliarij atq; puinciales, qui publicis interſuere tractatibus. Sed rem hanc uere piā, & Reipub. ſalutarē, Eccleſiæq; Chriſtiane

cessariâ, impedierunt multa, nepe prelectorû huius tempo-
ris hisce in terris rara in fide Catholica synceritas, accelerata
mors opt. Principû, filij primû Friderici, & paulo post pa-
tris Georgij, Ducû Saxoniz, mutatio regiminis et Cõsilia
riorû, alia fides & religio dominantiu, Super oia uero publi-
ca in sacerdotes ac Monachos omni uexationû genere adau-
cta psequutio, quam Lutherus Apostata primus in Germa-
nia pnciosissime inuexit. Vnde fit, ut parentes, licet paupes
existant, malint filios suos artificio manuali quã literarû stu-
dio tradere. Paucitas igi scholasticorû nemini iustius im-
putari potest quã noui Euangelij preconibus, & quidẽ præ-
cipuis inter eos, Luthe. & Melanch. qui ante annos xvij. &
scholas publicas dixerunt esse Satanæ lupanaria, & abolenda
esse literarû, p̄sertim Græcarû & latinarû studia suaserunt.

Quod aut declamator iste Lazaros esse affirmat oēs sa-
cerdotes, qui cû uxoribus ac paruis liberis fame cõtabescût,
utinã tam uere & ex animo diceret quã dicit nequiter et in-
uidiose, Digni em̄ essent eiusmodi sacerdotes omni contu-
melia et egestate, tum quia hæretici sunt & Ecclesiæ Catho-
licæ desertores, tû quia uel Apostatę sunt si ab Episcopo le-
gitime ordinati fuerunt, uel sacerdotes ficti ac falsi sunt, qui
sacerdotij ordinẽ uel fraudulenter mentiendo sibi usurpant,
quẽ uere non habent, uel sine unctione sancta ab Apostatis,
quorû nullus est uere Episcopus, nulliter acceperût, ad per-
petrandã quotidie ferme horrendam Idolatriã, quando po-
pulo porrigunt merum panẽ & uinum pro uero corpore et
sanguine Christi, Quandoquidẽ em̄ non sunt ab Episcopo
aliquo legitime in sacerdotes ordinati, consecrãdi potestate
uere habere nõ possunt, Si em̄ Diaconi, qui uere ab Episcopo
ordinati sunt, consecrãdi & offerendi potestatem non
habent, sicut testatur Nicenum Concilium, Quanto mi-

Sacerdotes
uxorati.

Lutheranoꝝ
rû Idolatria.

Concil. Nic.
c. 14.

nus habet illi ementiti sacerdotes, qui reuera puri sunt laici. Nullum enim ordinem Clericalem legitime ab ullo Episcopo accepere. Et eiusmodi sacerdotibus falsis impijsq; & idolatris repletur miserabiliter multis nunc in prouincijs Germania et totum Daniam Noruegiaeq; regnum, Qui sane iustissime bonis Christianis inuisi ac sprete esse debent, haud secus atq; olim Iudæis despecti & exosi erant sacerdotes Excelsorum, quos de nouissimis populi fecerat impius Rex Hieroboam, qui peccare fecit Israel.

9. Reg. 15.

Mali ac falsi
pastores.
Zach. 11.

Ezech. 34.

1. Reg. 2.

Nouæ pasto-
rum exactio-
nes.

Contra tales profecto sacerdotes Lutheranos falsoq; pastores uera & horrenda est querela domini per Zachariam prophetam quod dispersum non querunt, sed dissipant amplius, nec contritum sanant, sed prorsus occidunt, quibus singulis uerissime dici queat. O pastor & Idolū derelinquens gregem. Et per Ezechielem adhuc grauius conqueritur et committitur idem Dominus aduersus eiusmodi pastores, quorum scelere greges domini fiunt in rapinam & in dispersionem, atq; in deuoracionem omnium bestiarum, eo quod non esset pastor uerus & legitimus, qui retineret ac pasceret gregem domini in unitate Ecclesie Catholice, sed falsi ac supposititij pastores pascunt semetipsos, & gregi, cui tyrannice praeficiuntur, longe superbius damnant, quam fecerunt filij Heli, Quorum pueri dicebant populo immolanti, da mihi carnem, ut coquam sacerdoti.

Visitatores enim noui largiter eiusmodi uxoris sacerdotibus prospiciunt, Ita ut triplo aut quadruplo plus a populo exigere audent quam datum est antea Catholicis populi pastoribus. Quippe dabant antea quatuor per anni circulum nummi a singulis Christi fidelibus iure offertorij, nunc uero exigunt noui pastores Ternos aut quaternos modios frumenti a singulis agricolis suis, idque faciunt praetextu Imperij aut mandati Principis, Et donabatur antea grossus sacerdoti de sponsanti

spōsanti, nunc exigūtur octo aut nouem, Nihil antea exige-
batur, qñ sacerdos uel baptizabat uel ægrotū cōmunicabat
et inūgebat, Nūc uero a deo pterui sunt alicubi pastores no-
ui ut nolint ministrare sacramenta, nisi numeratam prius ui-
deant peccuniam.

Quam iuste autem habeant uxores & paruos liberos, ipsi Sacerdotum
uiderint, nos scimus eorum coniugia carere ueterū & exem- uxores ac li-
plo & decreto, Nunquàm enim hætenus licuit ulli sacerdos beri.
ti aut Monacho professo nubere, Non sunt igitur reuera ux-
ores sed scorta potius aut concubine, nec filij eorum recte
liberi dicunt, sed spurij potius uocandi sunt, quia nō sunt ex
legitimo thoro procreati. Quod si hæc uideatur eis iniurio-
sa, nos petimus ab eis ius aut exemplum approbatum, quod
aliqñ in Ecclesia Christi ita facere licuerit, sicut ipsi faciunt.

Uterius declamator ille tota conuiciorum & calumniarū Cōuicia Las-
plaustra tam impudenter sane q̄ inimice in clerum Ortho- zari in Cles-
doxum largiter effundit, ad quæ sigillatim respondere & rum.
molestum & superuacaneum foret, Nihil enim habent nos
ui, crebro audiuius ea prius, nisi q̄ fūco Rhetorico alicubi
sunt uenustius adormata.

Vocat nostros, ignauos uentres, Sardanapalos,
atq; etiam parricidas, qui opibus Ecclesiæ suauissis
me in ocio et tranquillitate fruente, non modo ipsos
munere ille defraudent, sed etiam Tyrannico fastu
contemnant, & summa odij acerbitate inflammati,
ipsos trucidare ac delere conentur, & in his superent
etiam illum diuitem, qui Lazaro lucis usuram non
eripiebat, sed ei locum ad uestibulum concedebat, at
que etiam suo fruebatur patrimonio, Episcopi uero
Canonicq; ac Monachi aliena interuertant, eaq; turs

pissime per luxum & libidinem dissipent ac profundant, Nō secus ac sponsi Penelopes Vlyssis facultates dilacerabant.

Hæc & id genus alia odiosa aduersum nos impropria de clamantium Rhetorculorum, breui dilui responso possunt, per uerbum, Non credo, quum accusatores isti nihil eorum, quæ dicunt, probare, aut ratione ulla teste uel fideli demonstrare possint, & nobis longe facilius sit, ea crimina uerius in ipsos retorquere. Vtri enim iustius dicantur ignaui uentres & Sardanapali, Nū ueteres præbyteri ac Monachi, qui cubantes soli & seorsum, uentrem per ieiunia antiquitus instituta atq; obseruata castigant, & ea quæ sub uentre sunt, uoluntario celibatu sancte custodiunt, An uero noui isti pastores Euangelici, qui sibi fas esse non putant, uel unam noctem domi seorsum à mulieribus cubare, nec ulla obseruant Ecclesie ieiunia, sed uelut irrationabilia pecora omni die quælibet fruuntur esca, calcata superbe omni de ieiunijs Ecclesie antiqua & lege & consuetudine? Vtri sunt hisce in rebus magis memores ac obseruantes uerbi dei? Nemo certe negare potest, hæc esse uerba Dei, sancti estote, quoniam & ego sanctus sum dominus deus uester. Item. Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducant panem sanctum, Item. Mundamini qui fertis uasa Domini, Item. Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum &c.

Ignauis uentres.

Leui. 19. & 20.

1. Reg. 21: Esa. 52. & 56

Eunuchi propter regnum celorum. Matth. 19. Luc. 14.

In toto testamento nouo commendantur præcipue castitas & abstinentia, non solum lege & doctrina, uerum etiam uita & imitationis exemplo. Etenim ipse dominus in Euangelio eos præcipue commendat Eunuchos, qui seipsas castrauerunt propter regnum cælorum, & liberaliter promittit Centuplū atq; etiā uitā æternam ei, qui reliquerit uxorem

uxorem propter ipsum. Et quid dicent coniugati ac uoluptuosi sacerdotes isti ad illud uerbum Christi. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, et filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus? Quo se tuebuntur Apostolorum aliorumue Christi discipulorum exemplo, qui post susceptum sacerdotium, aut post emissum castitatis uotum uxorem duxerint, sicut ducunt hodie absq; omni uerecundia ipsi Euangelij noui præcones? Quis igitur tam perfricte sit frontis, ut dicere ausit, Catholici sacerdotis aut Monachi uitam (qui & seipsum castrat propter regnum cælorum, & Ecclesiæ ieiunia obedienter in debita abstinentia obseruat) similiorem esse uitæ Sardanapali quàm est uita nouorum Euangelistarum, qui omni nocte & cubant & sudant cum illicite ductis uxoribus, & nullum diem per totius anni circulum ieiunio consecrant?

Quis deinde iustius dicetur Parricida? Num is, qui suo contentus stipendio aliena non inuadit, nec alteri alimoniam rapit aut præcidit? An uero is potius, qui calcato sanctæ religionis & obedientiæ uoto, aduersus patrem suum insurgit, & aduersus matris suæ filios scandala ponit innumera, eorumque sic insidiatur sanguini, ut confictis bullis & indulgentiis concitet manus laicorum ad effundendum sanguinem sacerdotum ac Monachorum.

Quemadmodum igitur olim iuste redarguit impium regem Achab Helias propheta, propter spoliatum uinea & occisum per falsa testimonia pauperem Naboth, dicens, Occidisti insuper & possedisti, ita & hodie iustissime redargui possent impj Visitatores isti pseudo Euangelici, qui accepta à Luthe, Principibus potestate, totâ eorū puagant terram,

Luth. in lib.
contra statum
Ecclesiasti
cum.
3. Reg. 21.
Tribunalis
sitorum.

terram & ex omni oppido ac rure, ad rigidum ac superbum tribunal suum, pauperem citant Clerum Catholicum, cui inexorabili rigore præcipiunt, nouo parere Euangelio suo, et sub carceris mortisq; minis interdiciunt, ne ullam de cætero uel legant uel cantet missam, nisi assint aliqui sub utraq; specie cõmunicaturi, ne ue ulli laicorũ deinceps in uaticũ aut quouis alio modo præbeant Eucharistiam sub panis duntaxat specie, ne ue infantem ullum posthac baptizent nisi Teuthonice iuxta nouam ipsorum formulam, in qua sane non solum omittuntur multa uerba precesq; ueteris & cõsueti exorcismi, uerum etiam capitale habetur piaculum, Baptizatum infantulum uel sacro Chrismate uel oleo sancto inungere, aut luto ex spũto factõ infantis aures naresq; ueteri ritu attingere, aut sal in os eius mittere, aut ardentem candelam ceream manui eius applicare.

Baptisma
Lutherano
rum.

Rigor & fastus
uistorum.

Senis presbyteri
responsum.

Quod si cui sacerdotũ in respondendo uerbum aliquod liberius elapsum fuerit, quod fastuosas eorum aures mordaci aliquo uero raserit, aut quod præsumpte eorum dignitati non satis iustos reuerentiæ atq; honorificentiaẽ titulos deferre uisum fuerit, is mox toruo uultu truciq; reuerberatus increpatione, tanquã in læsæ Maiestatis reus, aut minis grauioribus angitur, aut terro carceri mancipatur, ut discat & sobrie loqui coram tantis dignitatis nouæ uerticibus, & non blasphemare ipsorum Euangelium, quod singulari dei gratia & beneficio per Lutherum mundo iam tandem illuxerit. Vnde factum est nuper ante hoc triduum, quum sacerdos quidam ruralis, uita inculpatus & annis grandæuus, ad eorum citatus tribunal, liberius dixisset, se parochum fuisse iam annis XLVII. ac Baptizasse omnes parochianos suos quotquot essent superstites, tribus aut ad maximum Quatuor exceptis, Ideo nequaquã decere se aut ætatem suam, ut nos

ut nouam recipiat aut addiscat baptizandi formulam, aliam
ue suos doceat fidem, is tanquam rebellis & in deuotus intra
re iussus est carcerem, quod dictis addidisset ioco sonitum
ex complofione trium digitorum.

Hic profecto sacerdos non admodum iniuste aut indecē-
ter conferri poterit Eleazaro cuidam ex primoribus scriba^z 2. Math. 6.
rum, qui sub Antiocho illustri a^os natus Nonaginta, quū
urgeretur Tyrannico mandato, ad gustandum saltem simu-
lanter, carnes porcinas contra legem Moyfi, dixit. Non a^ota
ti nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentes, arbitrā-
tes Eleazarum Nonaginta annorum transisse ad uitam alie
nigenarum, & ipsi propter meam simulationem & propter
modicum corruptibilis uitæ tempus decipiātur, & per hoc
maculam atq; execrationem senectuti meæ conquirā. Nam
etsi in præsentī tempore supplicijs hominum eripiar, sed ma-
num omnipotentis nec uiuus nec defunctus effugiam. Sic
& sacerdos ille pius & in fide Catholica constans consimilē
nimirum habuit cogitationem, ne tacendo uideret ad no-
uam Lutheranorum sectam ex Ecclesiæ septis transisse, gra-
uicum scādalo multorum adolescentium, quos ipse ritu Ca-
tholico baptizauerat.

Et quanto gloriosius hic Eleazari secutus est exemplū,
tāto de decorosius uisitatores illi assimilātur Saulo, antequā
agnito Christo factus est Paulus. Nam sicut ille adhuc spi-
rans minarū & cædis in discipulos domini, accessit ad prin-
cipem sacerdotum, & petijt ab eo Epistolas in Damascum
ad synagogas, ut si quos inuenisset huius uicē uiros ac mulie-
res, uinctos perduceret in Hierusalē. Ira & uisitatores isti (ij
præsertim qui iam ultra XX. annos Lutheri & per eum Sa-
thanæ, misera quidem sed labore strenua mancipia existen-
tes cæteris assessoribus doctiores haberi uolunt) acceperunt

Visitatores
similes Saulo
persecuto
ri Ecclesiæ
Christi.
Act. 9.

Qq à Prin

Miscell. Lib. III. Tractatus II.

à Principe suo literas ad omnia oppida ei subiecta, ut quos-
cunq; inuenerint sacerdotes Catholicæ fidei tenaces, aut è
sedibus suis pellant, ut alienis relinquunt dolentes ac inuiti
labores suos, aut uinctos perducant in carceres.

Tyrānica ui-
ficatorū uio-
lencia.

Heb. 12:

1. Mach. 2.

Vnde fit, ut hac sæuicia multos ex infirmiorib. præsbys-
teris (quibus durum uidetur & intolerabile, cedere è bono-
rum temporalium possessione, alijsq; relinquere totius anni
messam, cum ipsi cunctas agriculturæ impensas pertulerint)
in sectam suam pertrahant. Licet non desint nobis per gra-
tiam Dei egregia quorundam exempla, qui ad sanguinem
usq; resistunt, tanquam fortes & intrepidi æmulatores Ece-
lesiæ sanctæ Catholicæ, ut exemplo Machabæorū animas
ti, non solum relinquunt uniuersa quæ habent tem-
poralia, sed et animas suas dent pro testa-
mento patrum suorum.

Scripta Budissenæ in Lusatia, Die Iulij 29.
Anno 1539.